

Nota⁷⁾ pro festo Johannis baptistae. Tribut. Primo . . .

Plebano . . sexag. gr. no. Cappellanis 1 talentum hall. Magistro scholae 3 tal. Organistae et . . . tal. Fratribus Augustini 3 tal. Minoribus 3 tal. Praedicatoribus 3 tal. Uni sacerdoti⁸⁾ sedenti circa truncum v soll. hall. Campanatori 3 tal. Advocato pontis III soll. hall. Servis supra pontem VI soll. hall. Item servis et custodibus in capella v. soll. hall.

Nach dem Originalregister auf Papier im Rathsarchiv zu Dresden.

7) Das Folgende von anderer, aber gleichzeitiger Hand. 8) Im Orig. *uno sacerdote sedens* etc.

No. 71. 1371. 1. März.

Die Markgrafen Friedrich der Strenge, Balthasar und Wilhelm stiften den Marien- und Maternialtar in der Capelle zum h. Kreuz und bestimmen die Verpflichtungen zweier Altaristen und die Bezüge derselben aus den von ihnen und andern namhaft gemachten Wohlthätern überwiesenen Ausstattungsgütern.

In nomine domini amen. Fredericus, Balthazar, Wilhelmus fratres dei gratia Thuringorum lantgravii, Mynsenses, Orientales et in Landesperg marchiones, comites in Orlamunde dominique terrae Plysnensis universis et singulis Cristi fidelibus futuris et praesentibus omnis bonique salutis optatum aevo perpetuo duraturum. Cum quilibet Cristi fidelium merito ad laudem almae genitricis dei devotione continua pronus et intentus esse debeat, qui de ipsius suffragiis necessitatis in hora se gaudet fore participem, cum dei sit et hominis mediatrix, nos principes praenominati ad perpetuam rei memoriam praesentia cupientes provehi notum facimus universis, quod perpendentes salutem corporis et animae propriam praeclarorumque principum heredum et successorum nostrorum dei sanctissimaeque genitricis Mariae laudem pro posse sitientes intendere construximus construereque fecimus unum altare in cappella sanctae Crucis opidi nostri Dresdensis in honorem praescriptae dei genitricis Mariae beatique Materni consecratum, in quo quidem altari omni sabbato mane circa diei ortum unam missam cum decenti sollempnitate de praetacta dei genitrice ordinavimus decantari, excepta vigilia paschae et si dies nativitatis Cristi in sabbatum occurreret, quia tunc propter festa eadem missa post vel ante debet feria celebrari; diebus autem aliis cottidie duas missas legi volumus in eodem altari immediate post primas missas in praedicta cappella sanctae Crucis de mane cantari solitas a praeclarissimis principibus quondam marchionibus Mynsensibus nostris progenitoribus editas et fundatas. Ad quarum omnium missarum complementum melius duos ordinavimus rectores altaris praedicti, principalem et secundarium; pro nutrimento nec non victu principalis rectoris et provisoris missae sabbatinae donavimus et appropriavimus et cum praesentibus donamus et appropriamus villam dictam Wickanzdorf^{a)} nostris pecuniis comparatam cum silvis rubetis pascuis pratis agris et agrorum cultoribus et cum singulis attinentiis usibus et fructibus ad ipsam pertinentibus, velut in suis limitibus et reynis ab antiquo dimensionata est et a prioribus possessoribus hucusque habita est et possessa. Insuper donamus et appro-

a) Weixdorf, Par. Lausa.